



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Aimerico Illvstri Regi & A. Reginae Hierosolymitan.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

260 Epistolarum Innocentij III.

revelabitur in nobis, monemus universitatem vestram & exhortamur in Domino quatenus ad memoriam revocantes quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero spem, spes autem secundum Apostolum non confundit, ex hoc ipso gratias agatis Altissimo, quod illi de quibus indubitatam fiduciam habebatis, retribuentes mala pro bonis, vobis non cessant detrahere, quia sequimini bonitatem, & quanto mundus, qui vos odit, quia de mundo non estis, (aliо quod suum esset diligenter) persecutio-nes vobis excitat graviore, tanto amplius patri luminum, a quo est omnino datum optimum & omne donum perfectum, in gratiarum actionibus assurgatis, qui vobis dedit patientiam in adversis. Despecta est enim confessio quam facit prosperitas, teste scriptura, que dicit: *Confitebitur tibi, cum beneficeris ei.* Sed illa magni momenti debet existere, quam non admittit vis doloris, ejus exemplo qui ait: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Nos autem, qui locum ejus licet indigni tenemus qui juxta propheticum testimonium liberavit pauperem a potente, & inopem cui non erat adjutor, affectu paterno vestris doloribus condolentes, non attendimus contra vos vultum potentis, sed ut oppressionibus vestris finis debitus imponatur, spe sola retributionis aeterna Petri gladium exeruimus ad iustitiam faciendam, discretionem vestram rogantes attenti, & obsecrantes in Domino, quatenus hanc nobis retribuatis mercedem ut apud misericordissimum judicem pro peccatis nostris preces & lacrymas effundatis, puras ad eum manus sine disceptatione levantes, ut injunctionem nobis apostolatus officium ad laudem & gloriam nominis sui, ad honorem & profectum Ecclesiae, & redemptionem & salutem animae nostrae concedat & faciat adimplere. Datum Laterani XII. Kal. Decembris.

AIMERICO ILLVSTRI REGI & A. Regine Hierosolymitan.

Epist. 437.
Regnum Hierosolymitanum
sub protectione apostolica
recipit.

Cum terra sancta, in qua pedes Christi steterunt, & salutem nostram Deus Rex ante secula dignatus est operari, sub protectione semper debeat sedis apostolica permanere, quae Domi-

no disponente mater esse meruit generalis; licet omnibus ad vindicandam injuriam Iesu Christi & ipsius terrae succursum accendentibus munimen protectionis apostolicae largiamur, vobis tamen, qui terrae illi temporaliter praesesse noscimini, tanto libentius favorem & gratiam apostolicam impetravimus, quanto patrocinio & auxilio nostro amplius indigetis, & tam regnum vestrum quam vos habemus inter alios mundi Principes cariores. Eapropter, carissimi in Christo filij, vestris justis petitionibus grato concurrentes assensu, personas vestras, regnum Hierosolymitanum, & cetera omnia que nunc rationabiliter possidetis, vel in antea justis modis praestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani IV. Nonas Decembris.

COMITI TRIPOLITAN.

In afflictione terrae sanctae, quam Dominus pretioso sanguine comparavit, nos vehementer affligimur, & dolor noster quotidie innovatur, donec eam pristinam restitutam cognoverimus libertati. Sanè licet instantia nostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, praecipuum tamen ad liberationem dominici sepulchri nos & fratres nostri solitudinis studium exercemus, ad subventionem ipsius cunctos assiduis exhortationibus invitantes. Nuper autem cum literis plurium de partibus transmarinis sedi fuisset apostolicae nuntiatum quod carissimum in Christo filium nostrum Aimericum illustrem Regem Cypri & alij unanimiter elegeratis in Regem, per quem transmarinæ terræ tam ex distinctione personæ quam affluentia rerum creditis posse salubrius provideri, eum a quo bonum onine procedit humiliter exoravimus ut Regem ipsum de inimicis Christiani nominis faciat triumphare. Cum igitur praedictus Rex, sicut etiam in literis nobis transmissis perspicitur contineri, quietem regni Cypri dimiserit, & pro Christi nomine labores subierit transmarinos, & tibi & aliis omnibus summa sit sollicitudine satagendum ut regnum Cypri non debeat aliqua tempestate turbari, sed tranquillitate gaudere, cum de regno illo Hierosolymitau regno, ut proponitur, multa sub-

Epist. 438.
Vt Regi Cypri
contra Saracenos
decimatione
in conferendo & gubernando
regno ambo
sit.